DE BALSAMO AD PERILLUSTREM, & REUERENDISS. DD. AURELIUM POMPONATIUM...

Giovanni medico Falcone (medico)



DE BALSAMO

Ad Perillustrem, & Reuerendiss. DD.

AVRELIVM POMPONATIVM PROTHONOT. APOSTOLICVM

ET SERENISS. DVCIS MANTVÆ A CONSILIIS ARCANIS.



IOANNIS FALCONIS MEDICI CARMEN.



MANTVAE,

Franciscus Osana Ducalis Calcographus Excudebat.

De consensu Superiorum. M DXCVI.

Præsens opus visum fuit per Adm. Reu. D. Herculem Ripam I. V. Doct. Vicarium generalem Illustriss. D. Episcopi Mantuæ, & per F. Augustinum Neap. de Theatc Not. sanctissimæ Inquisitionis Mantuæ; & approbatum.

PERILLVSTRI
ET REVERENDISS. DD.
AVRELIO POMPONATIO
PROTHONOT.^{rio} APOST.^{co}
ET SER.^{mi} MANTVAE DVCIS
A CONSILIIS ARCANIS, ETC.



IOANNES FALCO MEDICVS
S. P. D.

CVM ELAPSIS DIEBVS AB *Excellentissimis Medicis rogatus* BALSAMI *virtutes carmine descripsissem, ut ipsis gratificarer, qui mihi ideò etiam librum de plantis Ægypti dono transmiserant; nuncq; ijdem denuo efflagitent, ut carmen ip-*

 sum

sum in lucem prodeat ; ipsis obtemperandum esse decreui, & CARMEN qualecunque esset tibi Perillustris, & Reuerendissime vir, cui omnia debeo dicandum fore existimaui, tum, vt gratum animum meum testarer erga te, à quo tot, & tanta in me beneficia collata sunt, tum ob tua pristina studia, quæ ab huiusmodi rebus non omnino abhorrere videbantur. At cum in agendis prudentiæ, quæ tibi semper magna fuit, adeò excellas, vt muneribus publicis, quæ tibi à Serenissimo Duce, & optimo commissa sunt, adeò præstes, & dignitate apostolica, quæ non nisi benemeritis condonari solet, adeò effulgeas, vt in clarissima Vrbe nostra sis posthabendus nemini: multa hoc in loco de antecessoribus tuis, multa de te, multa de fratre tuo Medico, et Philosopho præstantissimo commemoranda essent: Quæ tamen, tanquàm omnibus nota prætereo; Teq; vt munusculum ipsum benigno animo accipias, meq; in numerum clientulorum tuorum habeas, rogo. Vale.



DE BALSAMO IO. FALCONIS MEDICI CARMEN.



MVSA faue inceptis, & sancto numine mentem
Accende, vt sacri miras euoluere dotes
Arbusti eualeam, quod iam felicibus oris
Assolet educi, morbosq; expellere ab ægris
Iucundum miseris seruans mortalibus æuum.
Tempore quo læti incipiunt reuirescere campi,
Et pictæ volucres concentibus æthera mulcēt,
Iam mense exacto ægrotans Tyrrhenius heros,
Et tristem exosus morbum, morbiq; labores,
Numine Phæbeo exardens, & amore salutis
Templa dei ingreditur saxo fabricata vetusto.

Et ni-

Et nitidum blanda simulachrũ voce precatur.
Sancte pater postquã medicinæ inuctor haberis,
Plantarumq; gradus noscis, rectaq; bilance (te,
Haud medica ignoras cõponere pharmaca in ar-
Ad tua confugio, supplexq; oracula posco.
Me miserũ nosti, & compresso pectore crebrò
Cernis anhelantem, grauia & suspiria cernis,
Meq; vides animam tecta ceruice trahentem.
Da pater, vt valeam longum depellere morbũ,
Et primæ valido redeant in corpore vires,
Et dulci hæc fragilis potiatur vita salute.
Non benè cara salus pro toto venditur auro.
Nunc pater arcitenẽs audi, & miserere precatis.
Hoc si impetram, solito de more quotannis
Aedibus his pinguem voueo mactare iuuencũ.
Sæpius hæc repetit rogitans, & sæpius instat
Orando. hæc tandẽ vox reddita fertur ad aures.
Vota, precesq; tuas sensi. quæcunq; peroptas,
Exaudita manent, ægrumq; & inutile longo
Soluatur morbo, redeatq; in pristina corpus.
Ast ope conficies medica, auxiliumq; petendũ
Fragranti arbusto virgis, & semine, succo:
Quo multũ gaudet Mẽphis, gratatur Idumes,
Sed magno tantum studio viridaria seruant
Transla-

Translatum semper. nam sæpè exaruit arbos
Custodum culpa, peregrinamq; incola plātam
Accelit, & solum ferri felicibus otis
Per pelagus rubrum, Mechaq; ex vrbe fatetur.
Nāq; iter hoc tutò peragūt, remeātq; frequēter.
Hanc etiam regi Solymo regina Sabæa
Obtulit. hac culta surrexit clata propago.
Talia sic quondam cecinit longæua vetustas,
Sic quoq; fama canit. nāq; hanc Oriētis ab oris
Mandat Arabs felix lectam è tellure feraci,
Atq; ferax adeo, vt sterili nascatur arena,
Montibus, incultisq; locis, & pinguibus aruis.
Hic natale solum, hic solumq; renascitur vltrò.
Ast infœcundum sterili tellure virentem.
Euellunt fruticem, lucriq; cupidine ducti
Fructiferū efficiunt recolētes pinguibus hortis.
Hunc quoq; Memphiticis Alpinus detulit oris
Venetias, magnusq; liquor manauit ab illo
Manantem aspexit clarissima turba virorum.
Balsamus hæc fertur, quæ crescit more ligustri,
Vel cytisi folia emittens æqualia rutæ,
Rara, nec alba magis gestans, vt senserat olim
Ipse Dioscorides(quæ namq; relata fuere.
Prodidit, at plantā nullo vnquā tempore vidit,.
Cum

Cũ solū Aegypto,& Solymæ viridātibus hortis
Dixerit adnaſci) viridiq; infecta colore,
Perpetuòq; virens, oculiſq; ſub albida noſtris.
Subrubrum exterius lignū, dehinc lene videtur,
Gummoſumq; ſimul. rami ſpectantur eodem
Conſpicui, longi, recti, graciles q; colore,
Et paucas etiam frondes hinc inde ferentes,
Gummoſi redolent, digitisq; tenaciter hærent.
At perdunt omnem paruo poſt tempore odorē,
Atq; omnis liquidas ſapor euaneſcit in auras,
Hinc folia apparent ſeptena ex ordine ſummo,
Et quina in medio, ſed terna videntur ab imo
Caudice defluere,& lentiſci imitantia formam.
Exigui emergunt flores, naſcuntur & albi,
Sicut acatiæ, ac appenſi in vertice terni
Vmbellæ in formā ſummo complentur odore:
A quibus emanant redolentia ſemina flaua
Folliculis nigris ſubrubris, intus & humor
Melleus, & flauus, guſtuq; parumper amarus
Colligitur pauca feriens acredine linguam.
Ac ſummū fragrās,terebinthiq; æmula fructus
Semina mole pari concreſcunt,atq; figura,
Corpus & oblongum,ac oualis forma videtur.
Hęc fruticis norma.hic virgarū,&ſeminis ordo.

At

At ſacet emanat rimoſo è cortice ſuccus,
Qui poterit prodeſſe tibi, morbumq; leuare.
Delius hæc fatur. ſed talia ſubdidit heros.
Ne pigeat venerande pater deſcribere formam
Egregij ſucci, qui tam eſt gratiſſimus ægris.
Nam fruſtra expertus mirāda remedia nunquā
Auxilio medico ſidebam poſſe leuari.
Vix ea dicta dedit, preſſo vix ore ſilebat,
Talibus affari cœpit crinitus Apollo.
Tempore quo feruens incendit Sirius orbem,
Tum liquor è rimis ſponrè, & ſtipite cæſo
Diſtillat, lacte vt quandoq; thirymalus albo.
Hic primò albeſcit, viridis tum tempore paruo
Cernitur. hinc flauens, & deniq; melleus aſtat.
Turbida, craſſa ſimul primò ſubſtantia ſucci
Emanat, teneris preſſus velut humor oliuis.
Hinc tenuē aſpicies, atq; hinc clariſſima fulget.
Deniq; craſſeſcit terrebinthi indura figuram,
Et ſapor aſtringens, guſtu ſubamarus, & acer.
Eximiè hic redolens retebinthū effundit odorē
Vndiq; ſpirando. ò quàm gratiſſimus erit
Suauis, acutus odor. fragrantia mira reſultat.
Haud ſecus exuperat gratos Orientis odores,
Vt ſol irradians errantia ſidera vincit,

Vt rutilans aurum superat generosa metalla.
Atq; adeo validum, & pungẽtem aspirat odorẽ,
Naribus vt soleat quandoq; erumpere sanguis.
Principiò est adeo leuis, vt nisi missus ab alto
Mergatur lympha, subitoq; supernatat ipsam
Assurgens, totamq; illabens occupat vndæ
Parua superficiem gutta, & conspergitur olli.
Tum miscetur ei, subitoq; exoluitur vnà,
Vt vix collectum è gelida secernere possis,
In qua concrescit pauco post tẽpore iunctus,
Coniunctusq; stylo rectè separatur ab illa.
Tunc color euarians veluti lac visitur album,
Et lacti immixtus cogit, tum cogitur vnà.
Quò magis ãtiquus, minor hinc fragrãtia surgit
Proiectusq; vnda subitò defertur ad ima,
Nec redit ad partes superas nisi tempore longo.
Huic celebri succo varijs hæc signa feruntur
Temporibus. nã quarta sibi præscribitur ætas.
Calfacit, ac pariter tenuat, siccatq; secundo
Ille gradu medica longè celebratus in arte.
Sed quia nonnullis opobalsama ficta parantur
Seminibus proprijs, facilè agnoscentur odore
Obtuso multum, longèq; videntur amara.
At si oleum immixtũ, poteris dignoscere tactu,

Nam

Nam digitis nunquam lentor viscosus adhæret.
Si verò in lympha stillentur, in orbibus vltrò
Panduntur varijs, claré vt diffunditur vndæ
Pingue oleũ; maculã & pannis illita relinquũt,
Quæ magè concrescit, quæ vix deletur ab arte.
Vnguina si lateant, paruo post tempore in imo
Pinguia cernuntur vasis considere fundo.
Si cera, hæc semper fuerint turbata colore.
Si mel delitеat, dulcis sapor indicat ipsum,
Si verò resina manet, fundantur in igne,
Obscuram subitò flammam cõsurgere cernes.
Hinc alijs vera indicijs opobalsama norunt,
Nam liquor hic dius vestes non inficit vnquã,
Quãquã lẽtor adest, & adhæret vestibus humor.
Sed facilè elotus vestigia nulla relinquit,
Atq; ibi fragrantem mansisse notabis odorem.
Hic almus, redolensq; liquor virtute perenni
Antidota Andromachi perfectè conficit vnus,
Et, quæ olim regi Ponti tam cara fuere.
Hoc sine si fuerint confecta, impunè licebit
Lurida nequaquam poculis miscere venena.
Hoc sine conficiunt Itali iam tempore multo
Balsama in Aegypto reperiri posse negantes.
Dedecus ò magnum, tu sola ò Mantua felix.

 Col-

Collegium ô sapiens, & prestans arte medendi.
Nam tibi BERTHIOLVS solerti ANTONIVS arte
Condidit Antidota eximio saturata liquore,
Quæ poterunt subitò lethale extinguere virus,
Spirãtemq; animam reuocare è faucibus Orci,
Atq; laborantem vitales reddere ad auras
Extremos virtute sua religantia flatus.
Dixerat, & tales Tyrrhenius ore loquelas
Effudit. Nunc pande modũ sanctissime vates;
Quo tandẽ possim morosũ extinguere morbũ:
Dic quoq; quos morbos curet, vel qua arte mederi
Symptomata eualeat tã præstãtissimus humor.
Talibus alloquitur dictis; ac talia Phœbus
Reddidit. Vlla quidẽ nõ sũt magè pharmaca ĩ vsu
Niliacis oris, vbi surgit barbara Memphis,
Q̃ liquor hic magnus, quẽ morbis turba frequẽtãt
Omnibus, atq; magis, cũ morbus frigidus extat,
Humidus atq; simul, vel cũ graue symptoma vexat.
Aegrorum auxilio, & summa cũ laude medẽtũ
Omnia mirifico curantur vulnera succo.
Putrida mundificans sordes lauit, vlcera curat,
Atq; citò, & tutò, & iucunde persanat omnes.
Ille venena fugat, serpentum morsibus instat,
Lethalesq; ictus sedat tum fortè perunctus.

Tumq;

Tumq; ore ebibitus. sed nil præstantius illo,
Si semidrachmam, si quouis mane propinent,
Vt sera pellantur diræ contagia pestis.
Sæpè quoq; epotus misero de corpore putres
Depellit febres largo sudore fluenti.
Côcoq; hic gelidos succos, obstructaq. mēbra
Liberat, & melius nil longis febribus illo.
Ille oculis visum defert, aurisq. dolorem
Mitigat. auditum reparat. conuulsio plena,
Soluitur, atq. graui seruat vertigine captos.
Herculeum morbum, resolutos, atq. trementes
Discutit, & gelidam tussim, succosq. fluentes
Ad pectus sistit. vexatos asthmate soluit.
Humores stomachi gelidos, crudosq. dolores
Dissoluit, flatusq; simul. complexio vuluæ
Frigida corrigitur. mulier reuocatur ad auras
Compressa ex vtero, succurrit mensibus albis.
Si dolor est, abigit. pollet cohibere fluores.
Vrinam verò, si frigida causa retardat,
Calculus, aut flatus, pellit, frangitq. valenter
Renibus abstergens lapidē. medicamine sancto
Supposito, aut poto sterilis gestabit in aluo.
Hic pulchram effingit faciē, semperq. venustam
Conseruat veluti iuuenili in corpore formam.
Omni-

Omnibus hic tãdem poterit succurrere morbis
Diuinus, clarusq; liquor, quẽ Dædala Memphis
Aestimat, & magni reparando sæpè salutem.
Hæc eadem virgæ possunt. hæc semina præstãt;
Verum his attribuit dotes natura minores,
Et non tam validè pellunt de corpore morbos.
Tu verò succo vtens, sanctoq; liquore,
Qui votis, præcibusq; tuis prodesse valebit,
Et reparare vires, & languida membra fouere,
Atq; laboranti optaram deferre salutem,
Hoc tamen auxilium nostra tentabis ab arte
Consilio fidi varis, mediciq; periti.
Sed primò quærenda tibi medicina salubris,
Quam poterit tutò mandare Aegyptia Mẽphis.
Pristina sic redeat morboso in corpore virtus.
Sic clari arbusti, virgarum, & seminis vsum,
Et celebris gummi decantans carmine laudes
Talibus hæc quondã cecinit formosus Apollo.

FINIS.